

CAPUT I.

Verbum est Deus, vita, et lux omnem hominem illuminans; per quod omnia facta sunt, et quod homo factum est; cui testimonium perhibet Ioannes, dicens se vocem, et indignum qui illius solvat corrigiam calceamenti, eumque esse agnum Dei qui tollit peccatum mundi: Andreas alter duorum Ioannis discipulorum qui Iesum secuti sunt, adducit ad illum etiam Simonem fratrem suum: Philippus quoque a Iesu vocatus, adducit ad eum Nathanaël.

BIBLIA

SACRA

CAROLUS

VERCELLONE

1861

1. In principio erat verbum, et verbum erat apud Deum, et Deus erat verbum.

2. Hoc erat in principio apud Deum.

3. Omnia per ipsum facta sunt: et sine ipso factum est nihil, quod factum est,

4. In ipso vita erat, et vita erat lux hominum:

5. Et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt.

6. (a) Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Ioannes.

7. Hic venit in testimonium ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum.

8. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine.

9. (b) Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

10. In mundo erat, (c) et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit.

(a) *Matth.* 3,
1. *Marc.* 1, 2.

(b) *Inf.* 3, 19.

(c) *Hebr.* 11, 3.